



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Doct. Martini Lvtherii Avgvstiniani Theologi Synceri  
Lvcvbrationvm Pars Vna, quas ædedit usq[ue] in annum  
præsentem XX. Catalogum earu[m] uersa tibi pagina  
indicabit. Alio Tomo, Domino Volente, ...**

**Luther, Martin**

**Basileae, 1520**

**VD16 L 3411**

Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34878**

# AD LECTOREM

Io. Eccius.

Lutherius.



Conclusiones R. Patris D. Martini Lutherij de uirtute indulgentiarum ex medio scripturarum cāpo decerptas, Eccius sophistico dente conatus est arrodere; Scoti, Capreoli, Durandi, Alphonfi, Gabrielis, & aliorum nouorum doctorum opinionibus nimitū confusus. At reuerendus pater Martinus Lutherius, aureolam quā uocant, meruit: qui ab usum indulgentiarum tam argute primus conuulserit, ad quem tamen tot iam annos tot Theologorum milia connixerunt. Quam sceleratum est Christianam plebem, pro qua mortuus est Christus, his rebus tam impudēter ludificari: quæ forsā neq; in Euāgelijis, neq; in Paulo, neq; in Origene, neq; in Hieronymo, neq; in Ambrosio, neq; in Augustino, neq; in Hilario, neq; in Cypriano, neq; in alijs uetere sibus fundatæ comperiuntur.

Opiniones,  
onera Christi  
anorum.Exhortatio  
pia & Christi  
stiana.

Sunt opiniones, inquiunt, Theologorum, sed nouorum. Esto. Verū opiniones maneat opiniones, & nihil aliud sint q̄ opiniones, non autē onera Christianorum. Non faciamus opiniones nouorum Theologorum pares articulis fidei, & Christi Pauliq; decretis. Et pudeat tandē Theologos huius uocis, quā doctiores secreto nonnunq; apud amicos suos effutiūt; Sic quidem dicerem in scholis, sed tamen, maneat id inter nos, diuersum sentio. Itē; Sic dicimus in scholis, sed tñ, maneat id inter nos, non potest probari ex sacris literis. Quinpotius si quid docere uolūt, nō statim minis cogant homines; alioqui misera erit Christianorum conditio: sed proferant ex fontibus testimonia, sine coactis & apud se natis interpretationibus, & credetur eis. Id quod non fecit M. sacri palatii F. Syluester prietas; qui nuper Martino Lutherio respondit: sed sic, ut Theologis & non Theologis risum mouerit, cum sua ecclesia essentiali, uirtuali, representatiua. Quod si laici, resipiscente passim mundo, non tam ex libris, quos etiam nobis Theologis meliores legunt, q̄ ex ingenij sagacitate, multa quotidie deprehendunt circa Christianismum, quæ secus habere putant; quid oportet nos facere a uulgo longe lateq; remotos? Aperite tādē per dominū nostrū Iesum Christū oculos uestros, o Theologi; & omissis Scholasticis opinionibus, omissis puerilibus digladiationibus, ad ipsos scripturarum fontes accedite.

Hæc admonendi causa dicta putentur, certe non sine lachrymis & gemitu bonorum uirorum scripta, ad superbam istam pertinaciam, & pertinacem quorundam superbiam ingemiscantium: teste Christo, qui est benedictus in secula.

Fiat, Fiat,

Reue